ARÆ THEMIDIS.

Incenso Virtutum, Eruditionis, meritorumq; refulgentes.

D V M,

SVB EXIMIA PROTECTIONE,

ILLVSTRISSIMI & REVERENDISSIMI DOMINI,

D. IOANNIS MAŁACHOWSKI,

Dei, & Apostolicæ Sedis Gratiâ, Episcopi Cracouiensis, Ducis Seueriæ,
Almæ Vniuersitatis Cracouiensis Cancellarij Fauentissimi,
Sub felicissimis verò Auspicijs,

Magnifici, Perillustris, & Admodùm Reuerendi Domini,

D.M. SIMONIS STANISLAI MAKOWSKI.

S. Theol: Doctoris & Professoris, Collegæ Maioris, Ecclesiæ Collegiatæ S. Floriani Custodis, Curati Nasiechouicensis, Contubernij Hierosolymitani Prouisoris, S. R. M. Secretarij, Almæ Vniuersitatis Cracouiensis, Generalis & Vigilantissimi

R E C T O R I S,

A

Perillustri, Clarissimo, & Admodùm Reuerendo Domino,

D.M. SAMVELE FORMANKOWICZ,

V. I. Doctore & Professore, Protonotario Apostolico, Ecclesiæ Collegiatæ SS. Omnium Custode, Curato Premykouiensi, Contubernij Iagelloniani Prouisore,

Perillustres, Excellentissimi, & Admodùm Reuerendi Domini,

D. M. IOANNES STANCZEWIC,

Protonotarius Apostolicus, Ecclesiæ Cathedralis Præmislien. & Bobouien. Canonicus, Illustrissimi Loci Ordinarij Præmislien. Causarum Auditor,

ET

D. M. IACOBVS ZELAZOWSKI,

Protonotarius Apostolicus, Scholasticus Tarnouiensis, Canonicus Bobouiensis, ad Ecclesiam Archipræsbyteralem B. M. V. In Circulo Crac: Pœnitentiariorum Domûs, Senior Pater, Philosophiæ Doctores, & V. I. Licentiati, Laurea Doctorali Iuris Vtriusq;, In florentissima Illustrium Hospitum Corona, ritu solenni, & magno omnium applausu,

In Lectorio Collegij DD. Iure Consultorum, insignirentur,

Honori tantorum Virorum,

E R E C T Æ,

ET A. M. RAPHAELE CASIMIRO ARTENSKI,

Philosophiæ Doctore, Collega Minore, Ordinario Eloquentiæ Professore, amoris & beneuolentiæ ergò gratulatorio calamo, Seræ posteritati

D E D I C A T Æ,

ANNO DOMINI, 1681. Die 11. Decembris.

C R A C O V I Æ,

Typis FRANCISCI CEZARY, S. R. M. Nec non Illustrissimi & Reuerendissimi Episcopi Crac: Ducis Seueriæ, Typogr.

ARA THEMIDIS,

Incenſo Eruditæ Sapientiæ coruſcans.

Auguſta Legum Numina,

tot erectæ circumſtant aræ, quot, per Iuſtitiam, bonæ Cauſæ triumphant.

Victoria hæc, orbis anima eſt.

Quemadmodum omne Terræ viuens, ita & hæc calore viuit, in vniuerſi corpore.

Procul tamen Ignis eius, ab Ignibus Promethei.

Lutum vir ille calefieri cœleſti flamma, ſed ineptè cupiit; quia ad incongrua, ſolem auſus trahere.

Supernus calor, ſupremo conformis Elemento, in terris morari nequit, niſi conuenienti pabulo ſuſtentetur.

Iuſtitia de cœlo non proſpicit, niſi de terra veritate orta.

Veritas de terra orta eſt, & Iuſtitia de cœlo proſpexit. *Pſal.* 84.

Felices, Sapientiâ & Eruditione inſignes Viri,

Perilluſtres, Excellentiſſimi, & Admodùm Reuerendi Domini,

D. M. IOANNES STANCZEWIC,

ET

D. M. IACOBVS ZELAZOWSKI,

Protonotarij Apoſtolici, &c. &c. quondam in Vniuerſitate Cracouienſi, Philoſophiæ Doctores & Profeſſores, nunc Iuris Vtriusq; Licentiati, eiusdemq; Inclytæ Facultatis, Doctoratum Prenſantes.

Quadrata Virûm pectora,

erectas Themidi Sacræ Aras gerunt.

In eis

poſuêre Incenſum, Diuæ Themidi gratiſsimum, Summam in Artibus & Philoſophia, tot, à teneris, quæſitam annos, Eruditionem.

Hæc

Hæc eſt ſumma Terræ Veritas & optima,
Literatorum Honorum incedendo gradibus, eam attingere metam, quæ eſt,

Mater Artium Scientiarumq;, Philoſophia.

Hanc lubens, de ſuprema Sapientiæ Hierarchia proſpicit,
Diua Interpres Legumq; Præſes Iuſtitia:
Hâc, ceu pabulo Ignis, nutritur, fouetur in terris; hominumq; Cauſas, lumine Aſtræa colluſtrat,
Cephiſſeo Themis firmat Oraculo.

Aliter!

Vltima Cœleſtûm, terras Aſtræa relinquit. Ouid. 1. Metam.
Et cœli ſortita locum, quà proximus illi,
Tardus in occaſum, ſequitur ſua plauſtra Bootes. Aratus.

Per hæc Sacra pectorum,

Viri Perilluſtres & Excellentiſſimi.

Capita veſtra clariora fiunt Apollinis capite.
Illud fabuloſo celebre lumine;
Hæc, ingenij amœnitate, Iudicij grauitate, Eloquio, in Sacris Politicisq; Roſtris, dulciſono, ceu radijs fulgentiſsimis, Gymnaſia, Eccleſias, Tribunalis Auguſtalia, in dies reddunt illuſtriora.
Veluti Sol, clariora ſpargens lumina, dum tendit in augem.

In ſplendoribus eiuſmodi celebres.
meruiſtis Pythiorum Lauros.

Fabuloſa narratione, Pythona, è terræ natum putredine, Sagittis confeciſſe Phœbus auditur.
Phyſica veritate, Sol, nubiloſos radijs terreos, conſumit vapores.
Iuridica Gloria, Veſtrorum animorum ſplendoribus, famam parit immortalem; tot eis deferendo Laureas, quot difficultatum monſtra, in Artibus & ſcientijs, in Philoſophia & Sacris Literis, in vtroq; Iure, Iudiciorumq; ſubſellijs, Ingenij, Iudicij, Eloquij, Legumq; peritiæ, Radijs, confeciſtis; quot caligines difficultatum diſsipaſtis, quot Cauſarum tenebras, etiam nunc, illuſtratis,

Aram veſtrorum animorum, luminibus coruſcantem,

Elianum rectè dixerim Holocauſtum.

Magnus ſtructor eius, Incenſorq; Propheta, gratiſsimum Cœlitibus, proficuum Terrigenis; profligando ſontes, erigendo inſontes, obfirmando Fas, frangendo Nefas; Deo gloriam, hominibus vtilitatem, ſibi celebre nomen peperit.

Pariter

Pariter huic Triadi, litare intendit,
quando Vos;

Zelotes fortissimus, pro Aris focisq; Academicis, Facultatis Inclytæ Iuridicæ Phænix, Almæ Vniuersitatis nostræ, Delphico maius Oraculum, Columen, Decus, Paterq; meritissimus,

Perillustris, Clarissimus & Admodùm Reuerendus Dominus,

D.M. ALBERTVS ŁANCVCKI,

V.I. Doctor & Professor, Ecclesiarum, Cathedralis Cracouien. Canonicus, Collegiatæ S. S. Omnium Cancellarius, Pilecensis Archidiaconus, Curatus Luboricensis, Almæ Vniuersitatis Cracouien. Procancellarius Dignissimus,

Augem Honoris istius conscendere permisit, & Auctoritate sibi, ab Illustrissimo Loci Ordinario, demandata Licentiauit.

Maneat vestra hæc Ara perennis,

Quousq; Phœbæa Lampas, Astreæ fanũ, post Zodiaci Leonem, anteq; Libram erectum, lustrabit & collustrabit.

Incensum eius,

Christianis Heroibus, inter Astra relatis, IOANNI Herculi, IACOBO Perseo, positum & accensum, currat, ascendat, in Odorem suauitatis.

ARA

ARA THEMIDIS,

Incenſo virtutum meritorumq; inflammata.

Magnus anguſti laris hoſpes animus, non Latumijs arctatur.
In Circo, ad præmia currendi, ſiſtitur in corpore.
Dilatare ſuum nequit ergaſtulum.
Sed Orbem virtutibus, cœlo cognata progenie, implet.
Germina eius hæc, Deucalionis lapides ne dixeris!
Super quo Diuini vultus Lumen ſignatum eſt,
Diua virtutum Genera producit.

His Aram ponimus.

Honori Veſtro dicatam accenſamq;,

Perilluſtres Iure Conſultorum Gemmæ,

E ditiſsimo Conſi gazophilatio deprompt æ,
Examinis Academici Lydio ſtaterâq;, magni æſtimatæ.
Inuitâ licèt, & abnuente videri audiriq; Modeſtiâ,
Vobis, toto vitæ Curriculo, Comite, quia innatâ.

Quæ Animi Candidi, benè compoſiti, & innocentis Index eſt.

Ita nimirum, fœtam Selecto fructu ſegetem, vbertas deprimit & inclinat,
ſed erigit in gaudia, ſpectantium animos.

Pariter Vos Mineruæ Virtutisq; Hypecauſtria,

humano generi optatiſsima,
recreatis quemlibet,
Conſilij efficaciâ, Candore Humanitatis, Comitate morum, rerum dexteritate agendarum, ſolerti Prudentiâ, Exemplo imitandi, doctrinâ faciles, magnis magnorum Heroum Præſulumq; pectoribus eſtis in pretio, illis cari omnibus, qui æſtimare virtutem ex aſſe, norûnt.
Vnus pro omnibus, Honoris causâ nominetur.

Illuſtriſſimus & Reuerendiſſimus Dominus,

D. IOANES ZBASKI,

Dei & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ, Epiſcopus Præmislienſis, Ordinis Canonicorum Regularium Sanctiſsimi Sepulchri Domini Hieroſolymitani, Præpoſitus Generalis, Adminiſtrator Abbatiæ Suleiouienſis.

Sanctitatis Corculum, Sapientiæ Oraculum, Senatûs Poloni Lumen,
Præsulum Gemma, Cathedræ Præmisliensis Delicium, Salus,
& Anima,
Fauoribus in Vos Gratijsq; collatis, declarauit, quanti vestras
Virtutes fecerit.
Sed etiam, tam beneuolo Viris Literatis & optimis affectu, luculentiùs prodidit,
Præsuleum suum pectus, omnium Virtutum esse Encyclopœdiam,
Eruditionisq; Emporium.
Virtutes alterius, tantò alter impensius amat æstimatuè, quantò ipse maioribus abundat. Innoc. Petricius, in Com: Sapientum

Parcite Principes & Dinastæ sensui decernenti!
Datam Vobis quidem potestatem desuper, Eminendi,
Sed Virorum indigam, in partem solicitudinis vocandorum.
Tale ne adminiculum, an eo adiutus Princeps felicior?
vtriq; decernite.
Veritas Pythagorico (Ipse dixit) Oraculo probanda!
Mutuum inter Principem & Consiliarios Præfectosq́, auxilium regendi subditos felicissimum, quod iustum Virorum æstimatorem, Principis animum inuenit, Virosq́ dignos æstimatione.

Fautores Heroas & Præsules, Vosq; eorum Clientes,
consummata felicitate hac beari,
tot fauorum Ornamenta loquuntur, Prælaturæ, Canonicatus,
Coronæ vestrorum in Aulis Principum in Ecclesia Dei, meritorum

Lumina tanta Vestri animi,
præseferre circulos non dicerem,
ni auream oris Alcidæ catenam efficerent, dulce magnorum
animorum vinculum.
ni, duratio illis esset circularis æternitas, atq; Laus immortalis.
Superna enim hæc Vos circumstant Numina, in vnoquoq;
gregatim sociata:

Omnes præterea, puro quæ crimina pellunt,
Ore Deæ; vinxère Choros vnoq́ receptæ
Pectore; diuersos vt post famulentur in Vsus. Claud. in Paneg: Styliconis.

Catena hæc Aurea,
Amicitiæ, charitatisq; mutuæ, nexum Vobis coarctat.
Hic, nodus quidem est, Gordio perplexior:

Sed

Sed perplexitas eius, quamuis tædium sit contendentibus dissoluere, mira tamen dulcedine afficit, firmare nitentes.
Hîc, Macedonius nihil proficit acinaces.
Et acutiores illo, discordias machinantium aculei, franguntur & hebetantur, Charitatis Virtutum complementi; adusti flammis.
Mutuæ Virtutis nexu firmata amicitia, indissolubilis.

Meritò Vestras non distinguimus Virtutes, dum honoramus.

Nam vni Vestrûm, maiora quæpiam deferentem Eloquentiam errore confundi oporteret;
Nisi fraterna inter Vos intercedens beneuolentia, eam leuauerit Alexandri verbis, excusantibus errantem Darij Matrem, pro eo ipso, Amicum eius, maiestate proceritatis maioris impellente, salutantem:

Non errasti (inquit) Domina! nam & hic Alexander est.

Honor Vester, Virtutis fidus Achates,
Incensum suauissimum, annet, perennet, in Ara cordium, Virtuti, Viris eruditione, Sapientiâ, meritorumq; gloriâ conspicuis, fauentium.

Ignis flammam, Virtus honorem parit.
Virtus, omnis, vt sit Virtus, ex charitatis flamma proueniat, necessarium omninò est.

Ergo Seraphicis flammis Virtus contermina,
in Ara nostro erecta calamo,
Incensum ponit honorem.
Quem,
nullus humani artifex eloquij, nulla veneratio effingere, Vobisq; deferre potest maiorem, quàm, quòd, cœlica destinatione, Amici fueritis,

IACOBVS & IOANNES,

Apostolica hæc vnius Matris nomina,
annuente cœlo, tulêre Orbi honores Gratiarum:
ab Orbe inuicem honorati.
Maiorem pariter honorem optari Vobis, nec fas est nec posse reor:
Quàm, dum,
generando Vos Vtriusq; Iuris Doctores,
Vna in Septentrione, Virtutis & Sapientiæ Mater,

VNIVERSITAS CRACOVIENSIS,

Cœlo supplicat, vt sit honor Vester hic,
Ara Refugij, Ara Gratiarum.